



# **Metamorphosis lapidum ignobilium in gemmas quasdam pretiosas, seu, Modus transformandi perlas parvas, et minutulas, in magnas & nobiles, ac etiam construendi carbunculos artificiales, aliosque lapides...**

Norton, Samuel, 1548-1604?

Francofurti: Typis Caspari Rötelii, impensis Guilielmi Fitzeri, 1630

<https://digital.library.wisc.edu/1711.dl/W5LHP2WZ2IUBV84>

<http://rightsstatements.org/vocab/NKC/1.0/>

The libraries provide public access to a wide range of material, including online exhibits, digitized collections, archival finding aids, our catalog, online articles, and a growing range of materials in many media.

When possible, we provide rights information in catalog records, finding aids, and other metadata that accompanies collections or items. However, it is always the user's obligation to evaluate copyright and rights issues in light of their own use.

METAMORPHOSIS LAPIDUM IGNOBILIUM IN GEMMAS QUASDAM PRETIOSAS,

SEV

MODUS TRANSFORMANDI PERLAS PARVAS, ET MINUTULAS,  
in magnas & nobiles; ac etiam construendi Carbunculos  
artificiales, aliosque lapides pretiosos, naturalibus  
præstantiores,

olim à

SAMUELE NORTONO BRISTOLLENSI  
INCHOATUS:

Nunc verò

EDITUS DILIGENTIA EDMUNDI DEANI  
Angli Med. D. Eboracensis medici, auctior &  
perfectior.

CVI ACCESSIT MODVS COMPONENDI ELECTRVM  
artificiale, omnium Elixerum supremum; cum indicatione Electri  
naturalis & metallici, veteribus prorsus inco-  
gniti.

TERENTIUS.

Plurima, dum incipias, gravia sunt, dumque ignores: ubi  
cognoveris, facilia.



F R A N C O F U R T I ,

Typis Caspari Rötelii, Impensis Guilielmi Fitzeri,  
Anno M. DC. XXX.

КАМСВІСТГІССМ



**ORNATISSIMIS D.D. MEDICIS INCLYTIS**  
*Collegij Meditorum Londinens. Edmundus Deanus S.*

**V**ltima jam tandem prodit hæc Nortoniani cerebri proles; quæ quantis nata sit fortunæ alij cujus eminentioris fastigiis, ipsa nec novit adhuc, nec intelligunt facile, qui sunt illius amantiores. Multa sunt, fateor, & ea magna satis, quæ Lectori suo hujus opusculi titulus videtur polliceri; ast quam præstabit ea verè, vestrâ erit in manu (viri Apollinei) præ candore vestro id demum nobis edicere; quorum spectatæ fidei, & tutelæ unicæ grande hoc tradidimus, & magnificum Nortonianæ Chymiae depositum. Quantas vigilias subiit indulgens ille Pater, & sudores quantos, dum has, quas jam edit infans, dedicisset efformare voces, eo nostis hæc omnia verius, quo vobis constat de universis judicium certius Nortonus nisi vestrâ (quam juste alias vendicit) benevolentiam expectat nihil. Hanc dûm bene merenti persolvitis, non tam nuncupatum vobis mitto librum, quam observantia meæ votivam appendo tabulam.

R A M U S A R B O R I S P H I L O S O P H I C Æ  
*de modo componendi Lapidés pretiosos artificiales ex ignobilibus, præ-  
 fertim verò Perlas, & Carbunculos ad imitationem  
 naturæ.*

**I**N fine libri de Auro, & Argento potabili docuimus modum componendi Vitrum ductile & malleabile, uti etiam promisimus viam ostendere, transmutandi lapides in gemmas pretiosas. Sic itaque pensum reddere incipimus.

T A B V L A P E R L A R V M B R E V I S .

Tabula ista Perlarum ex his partibus & principiis consistit; nempè

Ex { Laetē Virginis,  
 Perlis solutis,  
 Argento vivo , &  
 Elixere albo.

Accipe igitur Lactis virginis, sive Aceti Philosophorum acerrimi / de quo aliquantulum plenius egimus in libro de Tinctura Physica, & Alchymica ) quantum sufficere putas ad dissolvendum Perlas tuas parvas, veluti in dupli proportione ad eas ; ut si sint tres unciae Perlarum, sint Lactis Virginis sex ; in quibus dissolve tuas Perlas, & pone vas solutionis in balneo ad digerendum unius diei spacio.

Tum evacua solutionem ab arenitate perlarum, ut sic loquamur, & filtra eam, & in balneo distilla, & in fundo vitri invenies oleum Perlarum spissum coloris unionum.

Cui tantum adjungito Elixeris tui albi corporalis, quantum materiam in crassare sufficiat in spissitudinem pastæ, & imponito Arg. vivum in æquali proportione ad Perlas. Si massa sit nimis rara, plus impone de pulvere Elixeris : Si nimis spissa , adde guttatum de Laetē virginis , aut de Arg. vivo, ut massam ad epatis spissitudinem inspissare sufficiat. Quæ quidem massa incorporanda est super lapidem marmoreum, eam terendo, donec in aptam spissitudinem illam reductam habueris.

Jam

Jam formato perlas, sive pyrosas, sive globosas, Necesse est igitur, ut in promptu habeas argenteas, vel æneas formulas globosas, sive pyrosas, quas cum materia imple. Quæ dūm adhuc mollis est, cum acicula, aut acu eam perfora, & suspende quotquot harum vis super filum margariticum de argento, vel potius de auro & pone in vitrum. Quo benè clauso, sepeli illud cum perlis duos pedes subter terram, ubi stent sex mensium spatio, donec frigore congelentur in substantiam duram, claram ac nitentem, sicut margaritæ naturales. Hoc enim modo perlæ factæ, & compositæ, haud sunt naturalibus in virtute minores, sed multò præstantiores gratia Elixeris albi.

### TABVL A CARBVNCVLORVM.

Nunc de aliis lapidibus pretiosis loquamur, & præsertim carbunculis tam naturalibus, quam artificialibus, ut illorum imitatione hos componamus & construamus. Dicimus igitur, quod naturales suum ortum habent in fodinis, & aureis terræ mineris ex auri spiritu, & sale minerali indurato & corporeo decoctis, & digestis per naturalem terræ Archæum in lapidum duritiem, tam per climatis caliditatem, quam per magnum Solis calorem: qua mixtione carbunculi naturales componuntur & producuntur. Orti enim sunt sub terra ex spiritu mineræ Solis, sive auri; per cuius influentiam micant; & ex sale minerali, corporali, & indurato, per cuius duritiem in natu-ram lapideam durescant.

Unde Physicus intendit, atque nititur, quam propè poterit, naturam arte imitari, & eisdem organis carbunculos artificiales super terram construere & componere, quibus natura subter terram eas formavit. Iisdem igitur Principiis ille utitur, operando cum spiritu & anima Solis simul indivisis, & etiam cum durissima salis terra, de qua Vitrum fit Venetum. Quæ duo sunt ejus organa materialia. Pro manualibus autem tria requirit, atque accipit, nempe vitriorum fornacem, ignem luminosum, & crusibulum: quæ omnia ad manum sicut h̄c videas, depingi curavimus.

*Metamorphosis.*

Descriptio fornacis cum organis suis.

a.

a.




Corpus-

Fornacis.

e

f

f



Pri.

Primum itaque describemus fornacem, & ejus usum. Istae  
nim est vera vitriariorum fornax; quæ quatuor habet ostia aperta. A.  
A. fornacis caput significant, ubi flamma ad ejus summitatem trans-  
cendens per secretam ignis viam E. deorsum reverberatà secunda  
fornacis divisione, extra duo ejus superiora ostia c. c. semper cadens  
super crusibulum d. in quo vitrum imponitur Venetum ad liquefa-  
ciendum. Duo fornacis inferiora ostia f. f. loca sunt, in quibus ligneæ  
bilettæ siccæ imponuntur, elevatae, ut flamma facilius ascendet.

Qua fornacis descriptione tria obtinuisti, modum scilicet fa-  
ciendi fornacem, ignem construendi, & crusibulum locandi.

Organis manualibus sic descriptis, ad materialia redeundum  
est, quæ sunt duo, & simul conjungenda. Quorum primum formam  
dat; alterum eam recipit. Quod formam dat, est spiritus & anima  
Solis seu auri, simul & unanimiter juncta in Elixere rubeo; & est agens,  
tanquam mas. Quod formam recipit, est durissima salis terra in vi-  
trò contenta; & est patiens, tanquam foemina. Agens, est vis cæli,  
terram imprægnans. Patiens, est vis terræ, impressionem cæli reti-  
nens.

Theoricâ sic dispositâ, Practicæ fundamenta jam jaceamus:  
quæ duo sunt. Quorum prius est Elixeris præparatio; posterius est  
vitri.

Præparatur Elixer tuum rubeum corporale, si cum tinctura  
Martis solvatur; quoniam præ cæteris aliorum corporum tincturis  
eximiam indurandi virtutem possidet. Per ejus vim cælicam terra,  
nempè vitrum, duritie repletur lapidea, & in lapidem convertitur.  
Et sic Elixer erit præparatum ad projiciendum super vitrum. Rectè  
eriam fieri potest sine ista præparatione cum pulvere ejusdem Elixer-  
is corporalis sine ista solutione.

Ad vitri præparationem nihil amplius requiritur, nisi ut efficia-  
tur ex eadem materia, de qua vitrum componitur Venetum.

Cujus compositionem si signores, accipe de fractis vitris Vene-  
tis, quantum tibi placuerit, illudque pondera, ut perfectè sciaspon-  
dus, super quod Elixer tuum projiciendum est. Quo facto, pone vi-  
trum ad liquefaciendum in crusibulo d. & ibister, donec perfectè  
fuerit liquefactum.

Tunc

Tunc accipe tantum Elixeris tui corporalis rubei , quantum sufficiet vitrum liquefactum tingere; & impone in crusibulum super vitrum liquefactum , materiam aliquantulum movendo in igne, cum virga ferrea , & ibi stet postea unius horæ spacio.

Jam tolle crusibulum è fornace , & funde materiam in aurifabrorum Ingottam , & erit malleabilis ( sed portans duritatem vitri ) & ad visum lapidea. Quam in formam lapidis scindere potes, aut operari cum malleo.

Carbunculus iste, seu Lapis, sive metallum proprietatem habebit carbunculi micando & lucendo super omnes carbunculos naturales; & si tetigerit bufonem, vel araneam, morte motientur : quia ab Elixere tulit virtutem contra omnia venena. Et si ægrotus portaverit lapidem hujus carbunculi, ita ut cordis regionem tangat, cardiacam tollet passionem, & minuet vires ægritudinum.

*TABVLA, SIVE RAMVS NOVVS ARBORIS PHILOSOPHICÆ, in quo denotatur compositio cujusdam metalli veteribus incogniti, nempè Electri mineralis & naturalis, & adejus imitationem artificialis; & loquitur de campana ex Electro facta, à Trithemio usitata. Nec incepè dici potest Elixer Elixerum ad imitationem  
Metalli metallorum.*

**I**N Hispanorum Decadibus scriptum est, quod quoddam minerale, Eleætrum dictum, erat inventum in India occidentali. De cuius virtute ibi affirmatur, maximum esse antidotum contra omnia venena, atque auro multò nobilius.

Sed utrum inter spiritus, an potius inter corpora, seu metalla, aut inter lapides numeretur, meritò dubitandum est.

Nos dicimus, quod potius credimus illud fore naturæ partim metallicæ, partim lapideæ, partim mineralis simul conjunctæ, quam aliquod unum prædictorum. Quia mixtione differt à lapide, medio minerali, & etiam à metallo. Quia autem ex Mercurio, sulphure, & sale terreo mixtis constare nobis videtur; ideo existimandum est, quod mixtam sibi paravit eorum naturam, ut sit semilapis, & semi-metallum, & sic eorum omnium, quæ in Archæo terræ nascuntur optimum fore.

**Media**

Media enim mineralia excedit in fixitate & constantia: quia illa longâ liquefactione in fumum, & in nihilum evanescunt, vel in aqua soluuntur, vti salia; sed Electrum tam in igne, quam in aqua remanet semper fixum, & constans.

Metalla excedit in digestione, colore, & dignitate. 1. In digestione; quia maioris & perfectioris signo digestionis induitur, quam aliquid aliud metallum. Nam sicut aurum propter maiorem suam caliditatem, & digestionem perfectiorem est magis flauum, quam cætera metalla: sic quia Electrum altiore habet colorem, quam habet aurum, ideo magis est digestum. 2. In colore; quia sicut aurum reliqua metalla excedit in colore; sic Electrum, aurum. Nam auri color flauus est; sed Electri rubeus, qui flauo est altior. Et sicut argentum est alborum metallorum Luna, & aurum rubeorum Sol; sic Electrum est auro, sicut soli Cœlum. 3. In dignitate; quia quanto aurum est dignius argento, tanto Electrum auro.

Lapides excedit in scintillatione, & in virtute. 1. In scintillatione; quia sicut lapides scintillant duritiei gratia: sic Electrum scintillas ostendit permultas, haud duritatis, sed decorationis causa. Et sicut cœlum stellis, sic Electrum scintillis decoratur gloriosis; quia claritatem, & luciditatem omnium metallorum in se habet. Et sicut cœlum omnes stellas, & Planetas continet: sic Electrum, quod est metallorum cœlum, Solem, & Lunam, cæterosque planetas in se continet, aurum scilicet, & argentum, sicut lumina maiora, & reliqua metalla, sicut cæteros planetas, & media mineralia, sicut stellas fixas: 2. In virtute; Nam quanquam lapides multi proprietates & virtutes habeant exigimas, ita ut quidam visum acuant, alij spleni profint, alij cor lætificant, alij sanguinem fistant, alij abortum prohibeant, alij partum accelerent, alij contra arenulas, renumque calculos valeant, alij venenis resistant; nullus tamen eorum reperitur, qui hæc omnia præstet, vel dira omnia venena tollat, sicut Electrum, super omnia media mineralia, metalla, aut lapides, secundum trifariam suam coniunctionem, nempe mineralem, metallicam & lapideam.

Quicquid igitur aliis de eo sentire placebit, hoc mihi verisimile videtur, non fore simpliciter metallum, sed naturæ superantis metallum. Nam cum lapides, media mineralia, & metalla ex sale, sulphure,

*Metamorphosis.*

B

& Mer-

& Mercurio generantur, hoc superans Electrum originem sumpsisse videtur à lapidibus, mineralibus, & metallis. A lapidibus sal, à mineralibus Mercurium, à metallis sulphur. Quæ tria eius elementa existentia, & in vnum conuersa per Archæum terræ à maiore virtute & potestate naturæ, præaltiorem perfectionis gradum in eo formauerunt, quām in vlo alio lapide, minerali, vel metallo, yeluti, Deo iubente, natura ei super omnia alia mineralia ascriberet coronam virtutis, & dignitatis.

Sed vtcunque fiat, dupliciter apud Magicos, & Spagyricos accipitur, nempè naturaliter compositum, & artificialiter. Naturale est illud, quod in Archæo terræ naturali gignitur: artificiale, quod per artem fit à magistris Spagyricis ex imitatione naturæ.

Vnde Paracelsus eius naturam satis inspiciens, & Alchymiae utilitatem, volens ex eo componere Elixer, cùm naturale eius corpus habere nequuerit, in libro Vexationum philosophorum, & in sexto Archidoxis Magicæ Electrum artificiale componere docuit, vt inde Elixer conficeret, sicut in dictis libris latius patet.

Quod mihi quidem minimè placet: nam ille ex Electro Elixer docet: sed ego ex Elixere Electrum doceo. Ille Elixer virtute Electri fieri vult: Ego Electrū virtute Elixeris fieri volo. Suis igitur eius viam subsequentibus illum relinquo. Meis autem mando, vt non seipsos in tam debili, sed in fortiori principio vel vexent, vel defatigent.

Duo à me vno modo creantur Electra artificialia: quorum primum est spirituale; alterum corporale. Prius itaq; loquemur de priori; posteà de posteriori.

Postquam igitur per proiectionem Elixer tuum rubeum corporeale comparaueris, liquefacito simul in vno crusibulo plumbi, & stanni vtriusque vnciam vnam, & cùm ferè frigescere incipiunt, tolle ea ab igne, & infunde argenti in alio crusibulo fusi vnciam alteram. Cùm autem hæc tria metalla alba infrigidari incipiunt, accipe argenti viui benè purgati vncias duas, illasque guttatim impone. Tunc ignem leniter exauge, ita vt non multum argentivii ab eo fumet. Iam verò in aliis tribus crusibulis seorsim liquefacito ferri, cupri, & auri, singulorum vnciam etiam vnam. Quæ tria metalla in promptu habeantur liquefacta, & primò aurum liquefactum impone in illud crusibulum, v-

Electrum  
spirituale.

bitua

bitua quatuor metalla alba liquefacta stant; deinde cuprum, ultimò ferrum. Totam massam benè moueto & agitato cum virga ferrea, donec benè misceantur, & ita in liquefactione stent vnius horæ spatio. Accipe tunc, quod in crusibulo liqueficit, & probè animaduerte, quæ erant liquefactorum pondera, & secundum tui Elixeris bonitatem fac proiectionem ad Medicinam. Et sic creasti Electrum spirituale 7. unciarum ponderis, ex 7. metallis constans. Quæ metalla in Medicinam sic conuersa, erint Elixer Electri, & Medicina universalis, cū qua postea nè cures, super quod corpus, seu metallum eam proiicias. Est etiam per maxima vitæ Medicina ad corpus humanum curandum. Nam si tres, quatuor, vel omnes morbi microcosmi simul occurrerent, tamen per istam Medicinam essent curandi.

Si enim huius Medicinæ partem aliquam solueris cum spiritu vi- ni in balneo, & postea in eodem balneo eundem eleuaueris, vt oleum Elixeris, seu Medicinæ in fundo relinquatur, sicut in nostro libro de Auro, & Argento potab. prius declaratur, Medicinam vitæ summam, & Aurum potab. longè nobilissimum habebis.

Nota: si ferrum non benè liquefcet, sèpè dissolute tuum Electrum cum tintura Martis, de qua alibi diximus, dissoluendo, & coagulando, donec sufficientem eius quantitatem imbiberit.

Sed si Electrum corporale iam conficeret cupias, cùm Medicina tua defecerit metalla amplius in Medicinam conuertere, tunc par modo proiice super iuxta fusa metalla, & in Electrum conuertentur corporale, & metallicum. De cuius virtute sicut nihil scribere conor; sic de eius, vel eorum potius nequitia, qui eo abutuntur, aliquid frigide tangere volo.

Scribit enim Paracelsus Vergilium Hispanum Magum, nolam, & Trithemium, campanam de Electro artificiali composuisse diabolicam, super quā, cùm Spiritus invocare, siue euocare voluissent, characterem scribebant, cuiusvis cupiebant Spiritus, & ad tertiam campanæ pulsum, eorum voluntatibus obedientes, apparebant, quamdiu cum illis colloqui desiderabant; & cùm amplius noluerunt, characteres abstergebant, atque ad reuersum campanæ pulsum abierunt Dæmones.

Qui Deum Omnipot. repudiare vult, & eius cognitionem à Diabolico  
Metamorphosis.

holo petere, vel scientiam, aut auxilium ab eo querere, apud Arbucel characterizare discat, & cum eo descendere ad infernum.

Sed nos in Deum Patrem, & S. Trinitatem confidentes, Magiam naturalem, & licitam, seu philosophiam reconditiorem approbantes, supernaturali verò, infami, ac illicitæ prorsùs renunciantes, omnibusque diabolicis cognitionibus, & reprobatis siue ethnicorum, siue catholicorum artibus, vel modis, doctrinam & sapientiam solummodo investigamus à Diuina Bonitate, & Spiritu eius Sancto, cui sit omnishonos, & gloria nunc, & in Sempiternum, Amen.

### F I N I S.